Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

inquit habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.
Quid de illis in quibus non erat fortitudo illa formata atque firmata? Quid de illis?
Vide quid dicat patri deo. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum meum.
petrum meum pollicentem et negantem. presumentem et deficientem. Viderunt tamen
eum oculi tui. Nam quod eum et ipse dominus respexit, scriptum est in euangelio. Nam post
terciam negationem commonitus quod ei predixerat dominus, exiit foras et fleuit amare.
Fleuit ille de respectione dei fuit. quia imperfectum meum inquit uiderunt oculi tui.
Nam ille imperfectus titubans in domini passione procul dubio perierat. sed uiderunt eum
oculi tui. Non solum ipsum. sed et omnes qui imperfecti fuerunt, donec christi resurrectio
ne firmarentur. Apparuit enim oculis eorum non periisse in domino quod mortuum erat. et fac
tum est os illud in abscondito eorum. ut nec ipsi iam timerent mori. Imperfectum me
um uiderunt oculi tui. et in libro tuo omnes scribentur. Non soli perfecti. sed etiam im
perfecti. Non timeant imperfecti. tantum proficiant. nec quia dixi non timeant. ament
imperfectionem. et ibi remaneant ubi inuenti sunt. Tantum proficiant quantum in ipsis
est. cotidie addant. cotidie accedant. tamen a corpore domini non recedant. ut in uno
corpore et in his membris compaginati. possint mereri de se dictam esse istam uo
cem. imperfectum meum uiderunt oculi tui. et in libro tuo omnes scribentur. Per
diem errabunt. et nemo in eis. Dies hic erat dominus noster ihesus christus. unde dicebat.
ambulate dum lucem habetis. Sed per diem errabunt imperfecti ipsius. Putauerunt
et ipsi dominum nostrum ihesum christum tantummodo hominem esse. non habere in se occultam diuinita
tem. non esse occulte deum. sed hoc solum esse quod uidebatur. hoc et ipsi putauerunt. Nam et
ipse petrus de illo enim potissimum loquimur. in quo etiam nobis non desperare firmita
tis exemplum propositum est. dixerat domino idem petrus. cum interrogasset quid dicerent illum
homines. tu es christus filius dei uiui. Dixerat ei dominus. Beatus es symon bariona quia
non tibi reuelauit caro et sanguis. sed pater meus qui est in celis. Quare? Quia dixerat
illum filium dei. Ibi paulo post eodem loco in ipsa contextione uerborum. cepit
dominus de passione sua futura dicere. Iste autem petrus qui iam illum confessus fuerat
filium dei. timuit ne sicut filius hominis moreretur. Erat filius dei. erat et filius hominis.
filius dei in forma dei. equalis patri. filius hominis in forma serui. quo pater maior
sit. Venturus erat ad passionem utique ex forma serui. Quid timuit petrus
ne in forma serui periret forma dei. et non potius presumpsit quia ex forma dei reui
uisceret forma serui? Ait illi. Absit a te domine. propicius tibi esto. Et dominus qui illum
beatum dixerat in illa uoce. uade post me inquit sathanas. neque enim sapis que dei
sunt. sed que hominum. Iam dudum quia dixerat. tu es christe filius dei uiui. audiuit. non
tibi reuelauit caro et sanguis. sed pater meus qui in celis est. Ideo petra. ideo beatus.